



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Regale Sacerdotivm**

**Besse, Pierre de**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Cap. 3. Sacerdotes ne sint detractores aut maledici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54698](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54698)

dotis exemplum, Sacerdotes, lacrymis vos defendite, & alia adhibere arma nolite.

*Burchard.*  
*lib. 2. c. 100.*  
*& S. August.*  
Oratio &  
lectio Sa-  
cerdotum  
arma.

Eodem quoque sensu dicebat Augustinus, lectionem & orationem Sacerdotum arma esse; arma inquam quibus dæmon oppugnatur, & cælum vincitur, vitia deprimuntur, ac beatitudo acquiritur. Beati igitur Sacerdotes, hæc qui arma adhibent, & miseri qui alia querunt.

## CAPVT III.

*Sacerdotes ne sint detractores aut maledici.*

Murmura-  
tores ranis  
Aegypti si-  
miles.  
*Exod. 8.*

**V**Na è maximis, quibus Aegyptus oppugnata fuit plagis, fuere ranæ: *Dixitque Dominus ad Mosem. Dic ad Aaron. Extende manum tuam super fluuios ac super riuos & paludes, & educ ranas super terram Aegypti.* Ranæ animalcula sunt, paludum & lacuum inquilinæ, è cæno prognatæ, quæ de die tacent, sed circa vesperam & noctem coaxando omnibus caput obtundunt. Symbola sunt hæc detractorum qui nonnisi cæno & vligine vitiorum pastorum alijs verbum non dicunt, imo nihil scire quidem audent, sed ijs absentibus & remotis, maledicendo detrahendoque omnibus molesti sunt. Nulla hodie exitiosior deteriorque in mundo haberi pestis potest, ac præsertim cum inter Sacerdotes reperitur.

Maledici  
aibus ranis  
pacibus  
similes.  
*Deut 32.*

Hebræi interea dum in deserto vagarentur, interminatus illis est Deus, immisurum se aues rapaces, & fame eos necaturum; *Confermentur, inquit, fame, & deuorabunt eos aues morsu amarissimo.* Aues ille voraces & hominum deuor-



deuoratrices detractores & maledicos denotant, qui ubiq; feraliũ auium instar volitantes, non nisi præda viuunt, & honorem hominum deglutunt; crudele profectò Dei flagellum & æcis castigatio, cum hæc euenerit calamitas, & præsertim inter Sacerdotes.

Vide in Apocalypsi locustas prodigiosas, quæ abysso progredientes, leoninos habent dentes, & facies humanas, quibusque homines affligere datum erat, & habebant capillos, sicut capillos mulierum, & dentes earum sicut dentes leonum erant, &c. Qui propius animalia hæc prodigiosa inspicere voluerit, videbit, veram illa detrahentium imaginem esse; vultus siquidem illorum humani sunt, & magnam benignitatem præferunt, at dentes eorum dentes leouum, crudelitatis instrumenta, aliorum honorem lædere & affligere homines solita. Prò! quanta calamitas, cum Sacerdotes hoc maledicentiz veneno infecti fuerint!

Psalmographus iuratus detractorum hostis, dixit nihil adeo se odisse & detestari, quàm qui secretò proximo suo detrahunt, & virulentiam in lingua præferunt, *Detrahentem secretò proximo suo, hunc persequer, &c.* & meritò quidem, nihil enim odiosius & intolerabilius etiam in Ecclesia, quàm detractores, calumniatores, ac maledicos videre Sacerdotes.

Hoc de peccato agens Ecclesiasticus, linguas maledicas & virulentas serpentibus ac viperis similes esse dixit, *si mordet serpens in silentio, nihil eo minus habet qui occultè detrahit.* Aptæ idoneaque similitudo. Maledici enim & detractores aspides sunt & serpentes, qui secretò mordent, id est sinistrè de hominibus claud

Bb

culò

Item Apoc. calypf. locustis.

Apoc. 9.

Psal. 100.

Serpentibus similes detractores.

Eccli. 10.



culo loquuntur. Videte verò Sacerdotes, horum ne de numero sitis.

Sap. 1.

*Custodite vos, inquit Sapiens, à murmuratione, quia nihil prodest, & à detractone parcite lingue.* vos hic alloquitur Sapiens, Sacerdotes, vestrum est numquam murmurare, vestrum est detractones fugere, vestrum est linguam moderari.

2. Cor. 12.  
Detractiones veretur Paulus.

*Timeo ne forte cum venero, non quales volo inueniam vos; ne forte contentiones, amulationes, animositates, dissensiones, detractones, susurrationes, inflationes, dissensiones sint inter vos,* scribit ad Corinthios Apollolus. Verebatur scilicet detractones præ alijs peccatis: at si hodie in mundum veniret, quot in Sacerdotibus detractones & maledicentias reperiret?

Rom. 16

Idem quoque in Epistola ad Romanos, postquam, varia eaque grauissima peccata recensuisset, tandem concludens ait, Deum maledictos & detractores odisse. *Detractores Deo odibiles.* Vnde infero, Sacerdotes, qui huic vitio obnoxij sunt, Deo inuisos esse, & diuinæ maiestati duplicere.

Deo odibiles detractores.

1. Cor. 10.  
v. 21.

Quin etiam Corinthijs scribens hac ad illos oratione vsus est. *Ne murmuraueritis, sicut quidam illorum murmurauerunt, & perierunt ab exterminatore.* Maledicere verò murmurare est, ac sæpenumerò fit, vt qui alijs detrahunt animarum perniciem incurrant. Sacerdos igitur qui saluari cupit, hoc vitium detestetur.

Detractio perniciis animæ.

Jacob 4.

Qui alteri det ah r, detrahit legi.

*Fratres, ait alius Apostolus in canonica sua, nolite detrahere alterutrū, qui enim detrahit fratrem aut qui iudicat fratrem suū, detrahit legi & iudicat legem, & c.* Sacerdos maledicus hoc semper præ oculis



oculis habeat, & cogitet se alijs detrahendo, eorumque vitam sugillando, Deum grauitèr offendere, & sanctas illius constitutiones violare.

Clemens in Epistola docet Ecclesiasticos qui alijs detrahunt, & maledicentiæ assuescunt, homicidas esse & interfectores, idque apostolica traditione probat, sicut homicidas, inquit, interfectores, fratrum, ita & detractores eorum, eosq; odientes homicidas esse manifestabat Petrus, &c. Eius opinioni accedens dico, detractores veros homicidas esse. homicida non nisi corpus offendit, vitamque aufert; maledicus verò existimationem, & famam ingulat. Cum igitur alijs detrahitis Sacerdotes, eosdè occiditis, vitam aufertis, mortis eorum rei estis & homicidæ.

Statuit Concilium Carthaginense, vt si Sacerdos alteri maledixerit, veniam ab eodem postulet; si verò ipsum facere detrectarit, degradari voluit, neu priùs in pristinam dignitatem restitui, quam parti læsæ satisfecerit. Iuxta concilij huius decreta petere veniam Sacerdos debet, ab illo, quem maledicendo offenderit, quod si facere noluerit, degradationem, damnationem, & ab officio suspensionem promeretur.

Scrisit quodam loco Bernardus, Cum Sacerdos ad semetipsum reuertitur, & sese benè considerat, non exquirat quid in alijs reprehendat; quia in semetipso inuenit multa quæ plangat. Et vere Sacerdos qui suas imperfectiones norit, non & accuratè perspexerit, alienas non sugillabit; quod verò suam non exquirat, in alterius vitam maledicendo inquirat.

Detractores homicidæ sunt. Epist. 1. de detractione

4. dist. 46. c. eod.

Sacerdos alteri maledicens ab eodem petat veniam.

Sacerdos qui seipsum confectat, non maledicet. er m. 54. de modo bene viuendi.

Bb 2

Crede-



Qui seip-  
sum nouit,  
alteri non  
detrahet.  
*In synony-  
mis.*

*Lib. 3. de  
consider.*

*In Psal. 69.*

Lingua  
detractoris  
damnosior  
quam ma-  
nus perfe-  
ctoris.

Maledici  
vivi exusti  
in castris  
Iudæ Ma-  
chabæi.

*2 Mach. 10.*

*1. Cor. 6.*

Credebat Isidorus, illum qui seipsum accu-  
ratè norit, alteri non detracturum, *Numquam,*  
inquit, *detrahas, si te benè perspexeris.* Quòd ve-  
rò hæc sui ipsius exulet cognitio, & omnes de-  
mi talpa cæciores sint, hinc tot maledici & vi-  
rulenti Sacerdotes reperiuntur, tantaq; per or-  
bem regnat detractio.

Nescire se aiebat Bernardus, vter maiori dam-  
natione dignus foret, audiens aut detrachens,  
*Detrahere an detrahentem audire, quid horum  
damnabilius sit, non facile dixerim.* Non minor  
vestra damnatio est, Sacerdotes, detrahentibus  
dum aures accommodatis, quam dum ipsi alijs  
detrahitis.

*Duos sunt, inquit Augustinus, genera persecu-  
torum, vituperantium scilicet & adulantium, sed  
plus persequitur lingua adulatoris, quam manus  
persequentis.* Verba hæc menti suæ insculpat  
Sacerdos, & hinc discat, quòd dum proximi  
honorem lædit, maiorem illi iniuriam irroget,  
quàm si gladio illum persequeretur ac feri-  
ret. lingua enim gladio damnosior ac viru-  
lentior.

Israëlitæ cùm Gazaram oppugnando vio-  
lenta manu interceptissent, omnes neci dede-  
runt, sed maledicos præ alijs viuos exusserunt,  
*sed & alij similiter ascendentes, turres por-  
tasque succendere aggressi sunt, atque  
ipfos maledicos viuos concremare, &c.* Cer-  
tissimum præiudicium, atque augurium  
infallibile, detractores & maledicos, & Sa-  
cerdotes imprimis, ignem perpetuum prome-  
reri, & tandem aliquando infernalibus flam-  
mis tradendos.

Paulus omnes cælo excludendos recensens ait,  
*Neque*



Neque fures, neque auari, neque ebriof, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt. Hoc Maledici igitur diligenter cogitate Sacerdotes, nolite caelo excludentur. detrahere, maledicere, aliorum imperfectio- nes tolerare; vos ipsos considerate, ac vobis persuadete, caelo vos excludendos, alios si am- plenta lingua proscindere pergatis.

CAPVT IV.

Sacerdotes lites & contentiones fugiant.

IN Prouerbijis scripsit Salomon, improbum & scelestum contentiones & lites excitare solere, Homo peruersus suscitatur rixas. Pro- uerbum hoc locum ut habeat dico, Sacerdo- tem improbum ac nefarium esse, qui conten- tionibus delatatur, ac lites gignit.

Improbi est lites excitare. Pron. 16.

Homo, ait idem iracundus incendit litem & vir peccator turbabit amicos & contentiones seminabit. Ecclesiastici igitur & Clerici Eccli. 28. vitiligatores, turbidos se & inquietos ostendunt, & prauis animi cupiditatibus regi, furori obsecundare & omnes tur- bare.

Litigare est languinem alicnum effundere.

Certamen festinatum, dicit ibidem, incendit ignem, & his festinans effundit sanguinem. Dice- re uult, eos qui lites & contentiones causan- tur, ignem uehementem accendere; & turbas excitare, esse sanguinem effundere, id est bona, substantiam, & vitam hominum perdere. Cum igitur lites fouetis & trahitis Sacerdotes, om- nia illa mala in orbem inuehitis.

Abstine, eodem loco ait, te a lite & minues

Bb 3 pecca-